



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Lvdovici Molinæ, E Societate Iesv Theologiæ Doctoris, &
Professoris, Commentaria, In primam D. Thomæ partem**

Molina, Luis de

Lugduni, 1622

Vtrum Angeli assumant corpora. art. 2. disput. 1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73915)

QVÆSTIO LI

De comparatione Angelorum ad corpora.

ARTICVLVS I

Utrum Angeli habeant corpora naturaliter sibi vnita.

RIBVS quæstionibus sequentibus disputat D. Thomas de Angelis comparatione rerum corporearum. In hac quidem comparatione corporum, & in duabus sequentibus comparatione loci, & motus localis. Quæ hoc articulo notari potuissent, dicta sunt articulo i. quæstionis precedentis.

ARTICVLVS II

Utrum Angeli assumant corpora.

DISPVATIO I

REICIT in primis D. Thomas sententiam eorum, qui dicebant, Angelos non assumere corpora: sed eas corporales Angelorum apparitiones, quæ in Scriptura narrantur, fuisse solum per immutationem imaginationis, aut etiam sensuum externorum factam in eis, quibus sese ostendebant, absque existentia alicuius corporis à parte rei: non secus atque visiones Prophetarum fiebant solum per immutationem potentie cognoscantis Prophetæ, sine vlla existentia earum rerum, quas prophætica spiritu videbant. Hanc itaque sententiam merito reicit D. Thom. reiciuntque communiter alij Doctores ac Patres: quoniam quæ per immutationem solius potentie apparent, non conspiciuntur ab omnibus indifferenter qui præsentés sunt: Angeli autem, qui Abrahamo sedenti in ostio tabernaculi Genes. 18. se ostendisse narrantur, à tota familia Abraham videbantur: à Lotque, & à toto populo Sodomitarum conspecti sunt, vt capite sequenti narratur. Adde, quod sacre literæ inuunt apertè habuisse corpora. Ait namque, lauisse pedes, surrexisse, & de Abrahamo dicit, gradiebarur simul cum eis deducens eos, & c. quibus familia in libro Tobias de Raphaële Angelo narrantur.

Angeli assumunt corpora.

Deinde responder D. Tho. ad quæstionem propositam. Cùm Scriptura narret Angelos sæpè apparuisse in figura corporali ac humana: Angeli autem nec corpora sint, nec corporibus sint vniti: sicut forma vnitur materia, & esto haberent corpora, non tamen humana & qualia illa erant, in quibus apparuerunt: consequens est, vt in corporibus, quorum non erant formæ informantés, apparuerint, atque adeo vt assumant, ac deponant corpora.

Opinio D. Basilij & aliorum iam hodie nõ probatur.

D. Basilij in lib. de Spiritu sancto c. 16. & Ioannes Thessalonicensis in Concilio Nicæno 2. actione 5. relatus, affirmare videntur, Angelos, dum apparèt hominibus, non assumere corpora, sed in suis propriis corporibus illis apparere, vt ex eorum testimoniis quæ præcedente quæst. art. i. retulimus est manifestum. Ait namque Basilij: *Ex propter & in loco sunt, & sunt visibiles dum eis, qui digni sunt, apparent in specie propriorum corporum.* Et Ioannes Thessalonicensis: *Multoties, inquit, in proprio corpore visi sunt, sed ab illis, quibus Dominus oculos aperuit.* Hanc eandem sententiam non iudicauit Augustinus impro-

A babilem: 15. namque de Ciuitate Dei, c. 23. post illa, quæ de incubis & succubis ex illo capite desumpta quæstione præcedente art. i. retulimus, subiungit: *Non hic aliquid audeo temerè definire. utrum aliqui spiritus elemento aëreo corporati (nam hoc elementum, etiam cum agitur stibello, sensu corporis, atque sentitur) possint etiam hanc pati libidinem, vt quomodo possunt, sentientibus feminis miscantur.* Et loquitur de corpore aëreo proprio ipsis Angelis, non verò de nouo assumpto, dubitatque, vtum à feminis corporis sensu possint sentiri: & 3. de Trinitate cap. 1. *Fateor, inquit, excedere vires intentionis meæ, utrum Angeli mente spiritali sui corporis qualitate per hanc oculis operantes, assumant ex inferioribus elementis corpulentioribus, quod sibi coadaptatum, quasi aliquam vestem mutant, vtant in qualibet species corporales, etiã ipsæ veras, sicut aqua vera in vinum verum conuersa est à Domino: an ipsa propria corpora sua transformet, vt quod voluerint accommodata ad id quod agunt. Sed quodlibet horum sit, ad præsentem quæstionem non pertinet.* Hæc Augustinus. Hæc tamen sententia tamquam omnino falsa est hodie reicienda. Tum quòd Angeli corporei non sint: Tum etiam quoniã communior Patrum eorum sententia, qui, vt iam art. i. quæstionis præcedentis demonstrauimus, Angelos corporeos esse asseruerunt, affirmat corpora illa spiritalia esse, nec vlla ratione sub sensum cadere: sed Angelos in corporibus aliis de nouo assumpto apparere.

Tertullianus in libr. de carne Christi paulò post principium asseuerat, Angelos, qui Abrahamo & Loth apparuerunt, eumque qui cum Iacob luctatus est, assumpsisse de nihilo corpora humana, in quibus sese videndos exhibuerunt, eaque vniuersè sibi hypostaticè, non secus ac caro Christi Verbo diuino hypostaticè fuit vnita: peracto autem illo ministerio, corpora dimissa in nihilum euauisse. Idem repetit paulò inferius, addens Angelos nos nascendo, vt Christum, assumpsisse carnem humanam, assumpsisse tamen illam de nihilo: aut si de aliquo, potius de terrestri corpore quàm de cœlesti. Hæc eadem asserit libr. 3. aduersus Marcionem ante medium. Quidam alij, quos Hieronymus in comment. in ca. 1. Aggæi colum. penult. & in præfat. in Malachiam, suppresso nomine, refert, dixerunt: *Ioannem Baptistam, Malachiam, & Aggæum fuisse Angelos in carne assumpta.* Idem præfatione citata refert Hieronymus sensisse Origenem de Ioanne Baptista, & Malachia.

E Hæc etiam sententia prorsus debet explodi, vt potest tamquam contraria veritati, & communi Patrum sententia. In primis namque Angelus non solum de nihilo, sed neque de præexistente materia potest assumere corpus, & vnire illud sibi hypostaticè, vt 3. parte, dum de incarnatione esset sermo, ostendimus. Multi etiam arbitrantur, nec diuina potentia fieri posse, vt aliena natura vnatur hypostaticè supposito creato, licet nos in contrariam sententiam loco citato propenderimus. Deinde opus non erat, vt Angeli vnirent sibi hypostaticè corpus in quo ad breue tempus hominibus apparerent: ergo vnio illa non fuit hypostatica, sed qualem statim exponemus, & qualem fuisse communis doctorum sententia affirmat. Id verò, quod de Ioanne Baptista, Malachia, & Aggæo dicitur, videtur apertè pugnare cum eis quæ Scripturæ sacre sonant: quare erroneum id absque dubio censeri debet.

DISPV